



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Dubium Appendix. In quo consistat ratio vitæ Divinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

constitutivum Dei est id in quo sistit, & terminatur constitutio Dei: sed aseititas, quod expressum est omnino indivisibile prædicatum, & omnino irresolubile in duos conceptus, & ex alio capite non est primum in constitutione divina: ergo est ultimum, hoc est, in quo sistit & terminatur tota constitutio essentialis Dei. Maior est certa, quia inter prædicata, per quæ quidditative constituitur Deus, datur duplex, aliud divisibile, & irresolubile in duos conceptus, qualia sunt omnia intermedia, & quæ posita sunt inter ens ut sic, & ultimum constitutivum; & hæc non sunt indivisibilia omnino quoad expressum, nec irresolubilia in duos conceptus, sed potius dividuntur, & partiuntur per intellectum in illos, quia omnia prædicata intermedia Dei quoad expressum constant ratione conveniendi, & differendi, ratione communi, & particulari, ut gradus intellectus v. g. constat ratione vivendi, seu gradu vitali, & ratione percipiendi veritatem, per quam differt à viventibus non cognoscitivis, substantia in Deo constat ratione entis, & ratione perfectitatis, ac proinde duobus conceptibus constant omnia illa, in quos potest dividere intellectus ea, & resolvere sine ulla implicatione, & difficultate.

47 Alia prædicata sunt in Deo, quæ sunt omnino indivisibilia, & hæc sunt solum duo, primum videlicet, & ultimum, illud quia est pura & adæquata convenientia sine aliqua ratione differentia, v. g. ens ut sic, per quod Deus ita convenit cum omnibus, ut ex vi illius formaliter à nullo differat: hoc est quia est pura, & adæquata differentia sine vlla convenientia ut supra dixi: ergo id, quod fuerit indivisibile prædicatum &c. Sed aseititas non est ratio conveniendi cum creaturis, sed potius quoad expressum est pura ratio differendi, ac proinde est omnino irresolubilis, & indivisibilis in duos conceptus, & non est primum constitutivum Dei; quia primum constitutivum est ens ut sic, alias aseititas esset pura convenientia Dei cum creaturis sine vlla ratione differentie, quod est falsum: ergo.

48 Secundo, quia constitutio divina incipit ab ente ut sic, tanquam à primo omnium prædicatorum, & progreditur per substantiam viventem, intellectualem, in quibus non sistit, quia sunt rationes conveniendi cum creaturis: ergo aliud est præter illa, in quo debeat sistere constitutio divina; sed non est aliud, nisi infinitudo per essentiam, aut aseititas, quia sola aseititas, & infinitudo per essentiam soli Deo propriissime convenit, ac proinde est totalis adæquate, & pura differentia: ergo aseititas est id, in quo sistit.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

49 Ad primum argumentum respondeo cōcedendo maiorem, & distinguo minorem: sed aseititas cōvenit omnibus attributis, si aseititas sumatur pro ut excludit omnem emanationem tam formalem, quam virtualem à parte rei, nego minorem, ut patet ex supradictis, quia hæc soli essentie convenit; attributa enim sunt ab essentie virtualiter per æquivalentiam distincta ab illis; unde attributa solum habent aseititatem pro ut opponitur emanationi aut productioni formali, quia, formaliter à parte rei neque producantur, neque ema-

nant, sed potius negant processionem ab alio omnibus modis formalem, & realem, quia omnibus modis formaliter realiter identificantur cum essentie; unde quando damus vel assignamus pro ultimo constitutivum divinæ essentie aseititatem, non est hæc, neque alia quæcunque particularis, sed potius universalissima, & eminentissima aseititas negans omnem tam virtualem, quam formalem emanationem ab alio, seu productionem ab illo; ratione cuius essentie divina est primum simpliciter & omnibus modis infinitum per essentiam, quod non habent attributa; quia virtualiter sunt secundarij conceptus. Præterea huic argumento tribuendæ sunt omnes solutiones, quas supra posui, dum refelli hoc argumentum Hurtado, præcipue illa, quæ concedendo transcendentiam, tribuitur à me; in qua concedo, attributa esse formaliter à se, non ratione sui, sed ratione essentie transcendens illa.

Ad confirmationem respondeo, aseititatem convenientem Deo esse radicem omnium attributorum, quæ de Deo cum veritate prædicantur, ut late probavi in prima ratione pro mea conclusione posita. Ad ultimam partem illius confirmationis quæ incipit à §. Igitur ens à se patet ex nuper dictis; quia relatio non est à se eo modo, quo explicuimus convenire essentie Dei; & casu negato, quod conveniat illi formaliter, dico non convenire relationi ratione sui, sed ratione essentie transcendens ipsam.

D V B I V M

Appendix in quo consistat ratio vite divine.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

P R I M A Sententia docet, vitam Dei consistere formaliter in hoc quod habeat perfectionem ab intrinseco sine motu; ita ut per illam particulam, sine motu, distinguatur vita increata à vita creature, quæ consistit in hoc videlicet quod sit perfectio ab intrinseco per motum ab utroque vita abstrahitur secundum hanc opinionem ratio vite in communi, quæ nihil aliud est, quam habere perfectionem ab intrinseco ut sic; hanc sententiam docet P. Hurt. lib. de anima, disp. 3, sect. 1. subsect. 1. §. 1. non enim probat illam, sed solum soluit obiecta contra ipsam.

P. Arriaga disp. 2. de anima, tota sectione 1. confute maxime loquitur de vita; nam licet distinguat duplicem vitam, aliam Physicam, aliam intentionalem, & vitam intentionalem dicat esse appetere, & cognoscere, nihilominus tamen non explicat, quid sit ratio generica vite communis cognitioni, & appetitioni; quia neque cognitio est vita per differentiam cognoscendi, alias appetitio non esset vita, neque appetitio est vivere propter differentiam appetendi, alias cognitio non esset vita cui non cōveniens differentia: ergo ratio generica vite conveniens utrique in aliqua formalitate consistit distincta formaliter per intellectum, & virtualiter à parte rei à ratione appetitionis, & cognitionis, sicut animal ut sic

vt sic distinguitur à parte rei virtualiter ab homine, & leone: ergo hæc ratio ita distincta deberet explicari ab hoc auctore, quod illi conuenientius foret, quam asserere id, quod docet in fine illius sectionis, videlicet plantas vere viuere Physice, & hominem vere viuere, non solum intentionaliter, sed etiam Physice, quatenus vegetatur. Item Deum vere viuere intentionaliter, & nihilominus vitam Dei, & vitam plantæ, seu hominis vegetatiuam nullo modo conuenire in ratione communi vitæ, sed potius vitam Dei, & vitam plantæ esse æquiuocam, sicut vox canis est æquiuoca respectu cælestis, & marini, & gallus respectu, auis, & hominis galli; ratio à priori ex dictis constat inquit Arriaga *Subsect. 4. num. 74.* quia vita physica consistit in ea augmentatione per intussumptionem, intentionalis autem in cognitione, & amore obiecti, quæ duo nullam habent conuenientiam, nisi in ratione entis, quæ non est conuenientia in conceptu viuents: ergo Deus vt intelligens non conuenit cum planta in ratione vitæ. O pulchra ratio digna tanto Auctore.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur.

Prima conclusio; non bene explicatur à P. Hurtado vita Dei per hos formales terminos, videlicet habere perfectionem ab intrinseco sine motu, quæ sententia licet à me refutata est late *lib. de anima*, nihilominus tamen in præsentem eam sic oppugno breuiter; quia impossibile est, quod deus viuat (non identice, quia de hoc non loquimur,) sed formaliter per prædicatum aliquod quod conuenit Deo ratione entis vt sic communis vniuersi Deo, & creaturis non viuents; sed præsentia Dei conuenit Deo ratione entis simpliciter existentis communis Deo, & creaturis non viuents: ergo ratione præsentia non viuit Deus formaliter; sed præsentia Dei conuenit Deo ab intrinseco sine motu: ergo habere aliquam perfectionem ab intrinseco sine motu non est vivere formaliter in Deo; quia si esset vivere, ubicumque esset, diceretur vita formaliter; cur enim magis hic, quam alibi; præcipue quia ratio formalis, & essentialis nunquam mutatur. Maior prima est certissima; quia quando alicui subiecto conuenit aliquod prædicatum, aut aliqua formalitas propter aliquam rationem communem illi, & aliis, non solum tali subiecto sed reliquis conuenientibus cum illo, conuenit talis formalitas vt videre est in homine, cui quia conuenit substantia ratione substantiæ realis communis lapidibus, & arboribus, non solum conuenit substantia homini, sed etiam lapidibus & arboribus conuenientibus in tali ratione. Item quia conueniunt Deo veritas, bonitas, & vnitas ratione entis vt sic, non solum conueniunt Deo talia attributa; sed etiam omnibus creaturis conuenientibus cum Deo in illis rationibus, & hoc fundatur in illo axioma euidenti, dici de omni, id est quidquid conuenit superiori aut alicui ratione superioris, conuenit omni contento sub illo; sed creaturis non viuents & conuenientibus cum Deo in ratione entis simpliciter

I. P. Tom. II.

existentis nullo modo conuenit, nec potest conuenire ratio viuendi, aut viuere formaliter: ergo impossibile est quod Deus viuat ratione prædicati communis entis simpliciter existentis Deo & creaturis non viuents; alias non solum Deo, sed creaturis non viuents etiam conueniret, quod est impossibile; vt probatum manet.

Minor illa est certa; nam vt supra demonstravi, vbi, seu præsentia in tantum conuenit subiecto, in quantum est ens actu, seu in quantum non est in statu puræ possibilitatis. Itaque siue sit Deus, siue sit creatura, necessario debet habere vbi, seu præsentiam eo quod actu existat, seu habeat entitatem oppositam, vt ita dicam enti potenciali, seu puræ possibilitati rei; sed hoc nihil aliud est; quam esse ens simpliciter existens: ergo præsentia, seu vbi conuenit Deo in quantum est ens simpliciter existens, ac proinde ratione entis existentis communis Deo, & creaturis non viuents. Pater hoc; quia non solum Deus, sed etiam creatura non viuents sunt entia simpliciter existentia: ergo conueniunt simpliciter Deo, & creatura non viuents in ratione entis simpliciter existentis, hoc est actu habentis esse, & non de præterito, aut futuro ad quod sequitur præsentia seu vbi formale: ergo præsentia, seu vbi conuenit Deo ratione entis simpliciter existentis communis Deo, & creaturis non viuents.

Secunda minor est euidensissima; quia omnis formalitas divina conuenit Deo ab intrinseco sine motu; sed præsentia est formalitas divina: ergo conuenit Deo ab intrinseco sine motu.

Præterea, quia esse substantiam in Deo non est vivere in deo, nec prædicatum vitale, & à fortiori ratio entis vt sic, quæ formaliter reperitur in deo non est vivere in deo; sed ratio entis, & ratio substantiæ conueniunt deo ab intrinseco sine motu; quia deus ratione immutabilitatis negat, & excludit à se in quocumque prædicato quæcumque mutationem, motum, & vicissitudinis obumbrationem: ergo habere perfectionem ab intrinseco sine motu non est vivere, neque est prædicatum vitale. Maior est certa; quia gradus vitæ contrahit rationem substantiæ, & entis in deo; vnde prior est ratio entis, & substantiæ, quam ratio vitæ, & vitalitatis; nam illi gradus sunt priores, & contrahibiles per posteriores qui sunt vniuersiores, latius patent, & pluribus conueniunt, quam alij, vt gradus vitæ vniuersior, & prior est, quam gradus intelligendi adhuc in deo; quia cum pluribus conuenit deus per gradum vitæ, quam per gradum intelligendi; sed cum pluribus conuenit Deus per rationem entis, & substantiæ, quam per gradum vitæ vt ex terminis patet: ergo gradus entis, & substantiæ in deo vniuersior est, ac proinde prior gradu vitæ, & ideo ratio entis, & substantiæ contrahitur per gradum vitæ: sed contractio est addendo supra aliquam rationem communem formalitatem, quam talis gradus ex se non habet: ergo gradus entis, & substantiæ in deo, qui contrahitur per gradum vitæ, & ratione talis contractionis additur illi ratio vitalitatis: ergo gradus substantiæ, & entis in deo formaliter non sunt vitales ex se: ergo euidenter sequitur deum formalissime non vivere ratione entis, & substantiæ.

Mm 2 Ex

7 Ex quo etiam patet manifeste, rationem communem vitæ Deo, & creaturis male assignari à P. Hurt. quia creatura habet ab intrinseco veritatem, bonitatem, & vnitatem, & lapis non solum habet talia attributa ab intrinseco, sed etiam subsistentiam; & grauius, & leuius habent grauitatem, & leuitatem; sicut materia prima habet ab intrinseco quantitatem, & nihilominus neque materia prima viuunt per quantitatem, neque lapis per subsistentiam, neque materialia entia, aut immaterialia viuunt per bonitatem, veritatem & vnitatem: ergo habere perfectionem ab intrinseco non est viuere vt sic.

8 Deinde; quia habere perfectionem ab intrinseco vt sic, vel est nullo modo habere illam ab alio; vel est ita habere vt sibi, & in se producat talem perfectionem; sed neque primum, neque secundum potest dici: ergo perfectio ab intrinseco in hoc sensu concepta non est vita. Minor quoad primam partem sic probatur (& videtur directe contra Hurtado, qui in hoc sensu ait viuere esse perfectionem ab intrinseco; vnde *disp. 3. subsect. 1. §. 3.* docet, Deum viuere per omne prædicatum sibi intrinsecum; quia omne prædicatum Dei ita est perfectio ab intrinseco, vt sit ens increatum & nullo modo productum ab alio, quia si hoc esset verum, nulla creatura haberet vitam, sed solus Deus, sed hoc est falsum, vt patet ex ipsis aduersariis concedentibus veram vitam creaturis: ergo falsa est minor quoad primam partem.

9 Sequela Maioris sic demonstratur; quia in illo sensu vita est perfectio increata, & imparticipata, increatum enim est id, quod nullo modo est ab alio productum; ideo enim Deus dicitur ens creatum, quia à nullo alio habet esse participatum, & causatum: sed nulla creatura potest habere vitam, seu perfectionem omnino improductam ab alio, increatam, & imparticipatam; siquidem omnis vita creata formaliter est vita secunda, & participata, & sic formaliter opponitur vitæ diuinæ, & non solum materialiter; vnde necessario debet dependere à Deo produci, & participari ab eodem; sed Deus est aliud ab omni creatura: ergo omnis vita creaturæ est producta ab alio, etiam si sit producta ab ipsa creatura: ergo nullo modo potest dici, quod vita non solum Dei; sed potius vita vt sic sit perfectio ita ab intrinseco, vt neget omnem productionem ab alio; nam in hoc sensu vita vt sic conuertitur cum vita Dei, quæ non est communis Deo, & creaturis.

10 Neque in secundo sensu potest dici vitam vt sic esse perfectionem ab intrinseco; quia iam vita vt sic non contraheretur ad Deum, quia Deo repugnat habere vitam, quam sibi producat & in se causat, aliàs vita diuina distingueretur ab ipso Deo; quia quicquid producit, & causatur ab aliquo distinguitur realiter ab illo; ideo enim Pater æternus distinguitur realiter à Filio, licet non causet illum; quia vere & realiter producit ipsum, & ideo essentialiter distinguitur à parte rei Deus à creatura, quia producit, & causat ipsam sed per vos vita petit vt causetur, & producat à viuente: ergo vita petit vt distingatur realiter à viuente; atqui diuina essentia essentialiter est viuens, & repugnat omnino illi habere vitam realiter distinctam à se, & realiter causatam, & productam à seipsa: ergo repugnat vitam vt sic ita esse ab intrinseco, vt producat, & causetur à viuente, distingaturque realiter ab eodem: ergo falsum est dicere, ideo vitam vt sic dici perfectionem ab intrinseco; quia ipsam sibi producit, & in se causat viuens.

11 Dices, vitam vt sic seu perfectionem ab intrinseco vt sic non esse in specie, & in particulari aliquam ex his rationibus à nobis assignatam, sed potius rationem communem vtrique abstractentem à primo, & secundo modo habendi ab intrinseco perfectionem.

12 Sed contra, quia ab improducto omnino, seu incausato & à producto non potest præcindi aliqua ratio communis; sed prima ratio habendi ab intrinseco est ratione improductionis, ex eo quod sit improducta, increata, & incausata perfectio; secundus modus habendi ab intrinseco talem perfectionem est producendo in se, & sibi causando; itaque ideo dicitur perfectio ab intrinseco, quia est producta, & causata à seipso: ergo à primo, & secundo modo habendi ab intrinseco perfectionem non potest abstrahi ratio communis vtrique, ac proinde vita vt sic non poterit consistere in habendo perfectionem ab intrinseco communi primo & secundo modo. Maior est certa; quia ab vltimis differentiis Dei, & creaturæ non potest præcindi aliqua ratio communis, quia vltimæ differentiæ Dei, & creaturæ ita pure differunt inter se, vt minime conueniant, & ideo supra aduertit, vltimam differentiam Dei esse omnino indiuisibilem, & irresolubilem in duos conceptus. Itaque in omnium sententia quæcunque differentia vltima ita est pura, & mera ratio differendi, vt nihil involuat similitudinis cum alia differentia vltima sibi opposita, vt videre est in rationalitate, & irrationalitate, in quibus nullos metaphysicos assignauit rationem similitudinis, ac proinde omnes negant posse præcindi aliquam rationem communem vtrique, quia talis præcisionis nullum datur fundamentum, scilicet similitudo, & hoc non propter aliam rationem, nisi quia sunt differentiæ vltimæ, sed perfectio improducta, increata, & incausata est differentia vltima Dei, & perfectio causata, producta, & participata est differentia vltima creaturæ, per quam differt à Deo: ergo ab improducto omnino incausato, & imparticipato, quod est primus modus habendi perfectionem ab intrinseco, & à producto, causato, & participato, quod est secundus modus habendi perfectionem ab intrinseco non potest præcindi aliqua ratio communis vtrique: ergo non bene assignatur pro vita vt sic ratio communis abstracta à producto, & improducto significata per illos terminos perfectio ab intrinseco vt sic.

SUBSECTIO I.

Modus loquendi Patris Arriagæ resutatur.

13 Certe improbabilius loquitur P. Arriagæ, quàm P. Hurtado, quia non loquitur consequenter ad propriè principia, imò ad principia communia, quibus ipse vtitur, tum hic, tum in Logica ad probandam rationem communem præcise à multis particularibus; & vt hoc clarum fiat, propono argumentum ipsius, quo probat, *disp. 2. de anima, n. 72. subsect. 5. sect. 1.* ad probandum vere dari rationem communem vitæ intentionalis Deo, & creaturis; verba eius hæc sunt, in fine illius numeri; sicut ens est Deo, & creaturis ratio communis, imò & vniuersa, vt diximus in Logica; quia vero Deus & creaturæ sunt entia; diuerso tamen modo participatur ratio entis à Deo, & creaturis; ille

Quaest. III. In quo consistat intellig. &c. 277

ille enim est ens à se, hæc vero ens ab illo quæ sunt differentia contrahentes rationem entis. Idè dicto de hac ratione vitæ intentionalis, ideo per te ratio entis est communis Deo, & creaturis, quia Deus est vere ens, & creatura vere, & proprie ens; licet Deus sit ens à se, & creatura ens ab alio; quod non tollit vniucationem rationis communis vtriusque, quia hoc quod est à se, vel ab alio sunt differentia; sed Deus etiam habet vitam proprie, vere & realiter, creatura etiam verbi gratia, planta, & homo quatenus vegetatur, habet propriam, veram & realem vitam, licet Deus habeat intentionalem, & homo seu planta habeat vitam physicam tanquam differentias: ergo euidenter sequitur ex tuis principiis, & ex tua ratione dari non solum rationem communem vitæ Deo, plantæ, & homini; sed etiam vniucam; quia ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis: atqui tota ratio formalis propter quam datur conceptus communis vniucus Deo, & creaturis in esse entis per te est, quia Deus est vere ens, & creatura est vere ens intrinsece, atqui per te creatura vere, & intrinsece viuunt, & Deus vere; & intrinsece viuunt: ergo datur eadem ratio formalis viuendi ut sic, ac proinde dabitur idem effectus, vel quasi effectus formalis, scilicet ratio communis vniucæ vitæ, quæ ratiocinatio meo videri ad hominem est euidenter, & vtgetur ex verbis antecedentibus; quibus in hunc modum probat hic Author vitam intentionalem esse communem vniucam Deo, & creaturis, verba eius sunt; [Probat facile, quia vere illis proprie conuenit cognoscere, & appetere, in quo consistit hæc vita, licet hæc ratio communis cognoscendi, & appetendi diuerso modo contrahatur ad Deum, ac ad creaturas; Deus enim cognoscit, & appetit sine forma superaddita, creatura vero per aliquid à se productum, & in se receptum; in quo consistit differentia specifica inter Deum, & creaturas sic ille: quæ verba ita retorqueo; vere, & proprie conuenit Deo viuere proptè abstracti à cognoscere, & appetere ne dicas illam vitam esse appetere, & cognoscere; quia appetere, & cognoscere sunt duæ species vitæ intentionalis, quæ distinguuntur realiter in creaturis; unde ab vtriusque abstrahitur ratio communis vitæ intentionalis, quæ proprie conuenit Deo.

Item creaturæ, verbi gratia, plantæ, & homini vegetanti vere & proprie conuenit ratio vitæ non intentionalis, sed physica, ita vt Deo conueniat vita perfectissime contracta per differentiam intentionalis, & creaturæ conueniat ratio vitæ contracta per differentiam physicam; quæ exercetur in augmentatione per intussumptionem; sed illa ratio intentionalis, & hæc ratio physica sunt differentia; quas addunt Deus, & creatura supra rationem vitæ; rationes autem differentia non tollunt conuenientiam in ratione superiori, ac proinde neque præcisionem illius rationis superioris, & communis vtriusque, ideo enim appetere, & cognoscere sine forma superaddita, & appetere & cognoscere per formam superadditam non impediunt, quominus Deus, & creatura conueniant in ratione vitæ ut sic, & vt præscindatur vniucæ ratio vitæ ut sic; quia illæ sunt differentia per te: ergo quod Deus viuatur intentionally & creatura viuatur physice non tollit, quominus creatura, & Deus conueniant in ratione vitæ ut sic communi vtriusque & vniucæ eiusdem; non magis expresse, & immediate oppo-

nuntur viuere per formam superadditam, & viuere non per formam superadditam quam viuere physice, & intentionaliter, & nihilominus talis oppositio non tollit conuenientiam ratione vitæ; quia est oppositio differentiarum, quæ non tollit quod in Deo, & in creaturis detur vere, & proprie viuere, quod est ratio communis vitæ; ergo à fortiori viuere intentionaliter, & viuere physice non impedit quominus Deus, & creatura conueniant in ratione vitæ ut sic, quia illa est oppositio differentiarum, &c. quæ non impedit quod Deus vere viuatur, & creatura viuens physice, vere, & proprie viuatur; ac proinde non tollit quod præscindatur ratio communis vniucæ vtriusque.

Præterea, & efficacius; quia ipse P. Arriaga in Logica, *disputatione 11. sectione 4. numero 40.* ideo probat, rationem entis esse communem Deo, & creaturis vniucam, quia probat solum hoc tollere vniucationem, inter duo, scilicet quod in vno ex illis detur metaphorica ratio, in alio vero propria; atqui in creatura viuente physice licet non detur vita intentionalis, vita tamen physica est vera, & propria vita; sicut vita Dei est vera, & propria vita: ergo potest præscindi ab illis ratio propria vitæ ut sic, abstracta à physica, & intentionalis sicut per te abstrahitur à Deo & à creatura ratio entis ut sic etiam si Deus sit ens increatum, & creatura ens creatum, quia licet creatura non sit ens increatum est vere proprie, & sine metaphora ens; sicut Deus licet non sit ens creatum, est nihilominus sine vlla metaphora ens; atqui; licet vita physica creaturæ non sit intentionalis, & increata; est tamen vere, & proprie sine metaphora vita; sicut vita Dei, licet non sit vita physice, est tamen vere, & proprie sine metaphora vita: ergo à paritate rationis euidenter sequitur; vitam Dei, & vitam creaturæ conuenire vniucæ in ratione vitæ, ut sic abstracta à physica, & intentionalis, creata & increata; quare si tu negas hanc ratiocinationem debes negare omnia tua argumenta, imò & negare nullam posse dari rationem communem præcisam ab aliquibus particularibus, siue in ratione substantiæ, siue in ratione viventis, animalis, hominis, &c. quapropter negare debes præcisiones & abstractiones omnium generum, & specierum.

In particulari autem discursu, quo vteris, eadem *disputatione 11. Logica. sectione 1. subsec. 2. numero 9. & 10.* ad probandum præscindi ens à Deo, & creaturis, vt contra te ad probandum præscindi vitam ut sic à vita physica, & intentionalis Dei, & creaturæ, sola mutata materia; ubi supponis, non dari præcisiones obiectiuas; quod ad præsentem casum ego etiam suppono; quia præscindere animal, verbi gratia, à rationali, nihil est aliud quam concipere confuse animal in ordine ad operationes sentiendi, non concipiendo, explicite in ordine ad ratiocinationem; ideoque ita vt non possem dicere, siue rationale an irrationale, vel quid sit esse rationale, vel irrationale, etiam si ex parte obiecti eodem modo tangatur rationalitas quo animalitas, & è contrario. At hoc idem posset in vita eiusque differentiis reperiri; nullatenus negari potest; quid enim prohibet, me concipere creaturam, & Deum quatenus possunt viuere, affirmando hoc ipsum de illis non cogitando, an viuatur physice, an intentionaliter, aut quid sit viuere physice, vel quid sit viuere intentionaliter; similiter concipiendo vitam, non cogitando an viuatur illud sit Dei, an

M m 3 creaturæ

creaturæ? imo ignorando prorsus, ut contingere potest, an Deus uiuat, & quis sit conceptus proprius vitæ creatæ? & hoc habet ille conceptus, quo solum explico perfectionem simpliciter simplicem quo actu tam nihil explico de vita Dei, & de vita creaturæ, de vita physica, & de vita intentionali, quam dum dico, animal est principium sentiendi, nihil explico de rationalitate, vel irrationalitate, ut ex terminis euidenter constat; non ergo minus præscinditur vita ut sic à physica, & intentionali; à creatæ, & increata, quam animal ut sic à rationali, & irrationali: ecce tota tua argumentatio, quam euidentem vocas: ergo mea argumentatio, quæ etiam hæc est, euidentissime concludit contra te; si autem negas hanc ratiocinationem esse euidentem eodem modo negabo tuam euidentiam habere; quod non debes consentire: ergo si hic bene discutris, sine dubio perperam ratiocinaris, quando negas posse præscindi rationem communem vitæ ab homine vegetante, & à Deo intelligente.

16 Deinde secundum tuum discursum, quo vteris ad idem probandum in medio numeri decimi §. veniamus ad sententiam, supponendo dari præcisiones obiectiuas, accommodo tibi, & in te contorqueo; sicut enim animal est indifferens, ut sit rationale, vel irrationale, ita vita ut sit Physica, vel intentionalis; ut sit creatæ vel increatæ; sicut animal potest cognosci, non cognito rationali, & irrationali, ita vita non cognita ratione physica, vel intentionali, creatæ, vel increatæ; & sicut homo est similis equo in animalitate, & non in rationalitate; ita homo est similis Deo in ratione vitæ, non vero in vegetatione, aut intussumptione, & hoc modo possunt cætera argumenta, quæ afferri possunt ad probandas eas præcisiones in omnibus rationibus communibus eadem via commendari ad nostrum propositum; ecce nostra ratio confecta eodem modo, ac conficitur à Patre Arriaga sua solum mutata materia de ente in vitam. Vnde solutiones, quas applicare voluerit huic nostri rationi, sine dubio erunt arietes, & balistæ seu tormenta aenea, quibus labefactabuntur argumenta propria.

17 Huc usque ad hominem; ostensit autem sic demonstro contra Arriagam: quia planta ex parte obiecti concepta, & homo quatenus vegetatur non est mortuus, item homo quatenus intelligit non est mortuus: ergo conueniunt homo quatenus vegetatiuus, & Deus quatenus intelligens in ratione non mortui, hoc est in negatione mortis; sed negatio mortis est negatio negationis, ac proinde est positua ratio primario, quia qui negat negationem, affirmat: ergo Deus, & homo conueniunt in positua prædicato negante, & excludente mortem, hoc est in conceptu positiuo opposito mortis; sed conceptus positiuus excludens posituæ mortem, & oppositus immediatè mortis est vita, quia mors, ut mors ex sua immediatè definitione est privatio vitæ: ergo Deus intelligens, & homo vegetans conueniunt in ratione vitæ ut sic; siquidem conueniunt in excludendo, & opponendo se mortis, cum hoc tamen discrimine, quod Deus excludit mortem per rationem vitæ ut sic contractam ad perfectissimam rationem vitæ increatæ, seu contractam ad differentiam intentionalem; homo autem quatenus vegetatur, sicut planta excludit mortem per vitam physicam. Itaque siue hoc, siue illo modo excludant, conueniunt tamen in conceptu positiuo excludente

mortem siue excludant illam ut negationem, siue ut priuationem, qui conceptus est vita ut sic abstractus à physica, & intentionali: ergo manifeste sequitur, Deum, hominem, & plantam conuenire in ratione vitæ ut sic communi Deo, & creaturis.

18 Vergetur, ac declaratur; quia hæc est euidentis ratiocinatio, quia Deus & homo conueniunt in excludendo inhærentiam posituæ, conueniunt in conceptu positiuo opposito inhærentiæ; sed conceptus positiuus oppositus enti inhærenti, siue aptitudinaliter, siue aqualiter & ipsi inhærentiæ est substantia & subsistentia: ergo Deus & homo euidenter conueniunt in ratione substantiæ, & subsistentiæ.

19 Clarius, omnes creaturæ conueniunt cum Deo in conceptu negante repugnantiam ad existendum; sed conceptus negans repugnantiam ad existendum, quia est negatio negationis est positiuus, ac proinde est conceptus entis realis, quia est potens existere: ergo conueniunt omnes creaturæ cum Deo in ratione potentis existere, ac proinde in ratione entis realis: ecce quomodo argumentum sit euidentis ad probandum, Deum & creaturam conuenire in aliquo conceptu positiuo opposito; quia conueniunt in excludendo alterius oppositi; sed homo vegetans, & planta, quæ vegetatur, & Deus quatenus intelligit, conueniunt in opposito mortis, & in excludendo illam, hoc est in excludendo negationem seu carentiam vitæ, siue voces illam mortem, siue non, quæ est opposita vitæ immediatè: ergo conueniunt in opposito negationis vitæ, seu in opposito mortis immediato; sed oppositum immediatum mortis, & negationis vitæ est vita, ut ex terminis patet: ergo euidenter sequitur à paritate rationis, plantam, & hominem, quatenus regenerantur, conuenire cum Deo quatenus intelligit in ratione vitæ ut sic, abstracte à vegetatiua, & cognoscitiua.

20 Vergetur amplius; homo sub ratione viuientis vegetatiue differt à lapide non viuente, & Deus etiam quatenus intelligit, differt à substantia non viuente v.g. à lapide: ergo Deus, & homo conueniunt in differendo à substantia non viuente, seu sunt similes in dissimilitudine à lapide, quatenus est substantia non viuens; sed illa differentia à lapide, & substantia non viuente communi Deo, homini, & plantæ est conuenientia in ratione vitæ, & illa dissimilitudo fundatur in similitudine vitæ communis Deo, homini, & plantæ: ergo planta, homo & Deus participant rationem vitæ à vita ut sic: ergo iam datur vita ut sic communis Deo, plantæ, & homini vegetanti.

21 Ex quo manifeste, & euidenter sequitur vitam ut sic non esse nomen æquiuocum respectu Dei plantæ, & hominis, quia nomen æquiuocum significat ea, quæ nullo modo conueniunt in aliquo obiecto significato per tale nomen, quia impossibile est illud ad significanda entia, quatenus maxime differunt sine alia conuenientia, præter eam solum, quæ datur in nomine; unde definiens Philosophus æquiuoca sic ait: [æquiuoca sunt, quorum nomen est commune, ratio vero substantiarum omnino diuersa;] quod manifeste videtur, ac trā omnino diuersa, quod impossibile perspicitur in hoc nomine canis, quod impossibile est ad significandum tria subiecta, v.g. stellam, animal latrabile, & pecus squameum, seu piscem, vnumquodque secundum propriam differentiam & omnia quatenus inter se omnino differunt sine ulla conuenientia; quod forte accidit, quod non ab

ab vno sed à pluribus idem nomen impositum est, sine eo quod conuenient ad talem impositionem fortuito, & casu, & vnusquisque volens significare illud subiectum, quod sibi apparebat secundum propriam differentiam, & vt discriminabatur ab alio quocunque, non attendendo ad id, quod alius impositor significare intendebat, dum imponebat nomen canis alteri omnino diuerso subiecto, & ideo vocantur à Philosopho huiusmodi impositiones æquiuocæ à casu, & hoc præcipue contingit, quando idem nomen à diuersis nationibus ad varia significanda imponuntur, quæ non à concilio, sed à casu tale nomen inueniunt, vt videre est in hoc nomine: conc. pro: quod Hispani imposuerunt acutæ vitæ, aut profundæ cogitationi, Barbâri autem, quos in hoc Perubio Chixos vocamus iuxta Quinensem Prouinciâ commorantes, significant per illud nomen partem illam interiorem animalis in pectoris medio appensam, quam cordis nomine insignimus, quod vtraque natio sine vlllo consilio, aut conuenientia fecerunt, solum casu, & fortuito, & ideo æquiuocæ à casu propriissime dicuntur: Aliquando etiam ab eadem natione imponitur idem nomen diuersis rebus propter aliqualem similitudinem, saltem exteriorem, & quia non datur conuenientia intrinseca dicuntur etiam æquiuocæ.

22 Tandem à Sapientibus data opera ad subtiliter ventilandas quæstiones & controuertendas materias, & vt doceant clare, & distincte essentias, & differentias rerum, & vt doceant quid sit ratio formalis vniuoci, & analogi, imponunt idem nomen diuersis, & distinctis rebus, quod nomen opponunt vniuoco, & inter vniuocum, & æquiuocum constituunt analogum, cuius naturam recte explicant, explicatis vniuoco, & æquiuoco, tanquam extremis, imò naturam vniuoci recte explicant, explicando prius naturam æquiuoci extreme oppositam vniuoco, quia per cognitionem vnius extremi sapissime cognoscitur alterum, vt tenebras cognoscimus cognoscendo lucem; oppositorum enim eadem est disciplina, & ratio, &c.

23 Ecce hæc omnia genera æquiuocorum continentur in hoc, quod multa subiecta significantur per idem nomen, quatenus per se differunt, & non quatenus conueniunt intrinsece in aliqua ratione communi, alias non æquiuocæ, sed aut vniuocæ, aut analogæ essent.

24 Sed hoc nomen, vita, (quatenus præscinditur à nominibus physico, & intentionali, creato, & increato; quibus potest adiungi, quando dicimus: vita physica, vita intentionalis, vita hominis, & plantæ, videlicet vita creata, & vita increata) significat quoddam prædicatum positium immediate oppositum morti, aut carentiæ vitæ, in quo conueniunt planta, homo, & deus, & per quod remouetur à seipsis mortem & carentiam vitæ, & conueniunt in tali remotione & non significat talia subiecta, quatenus inter se differunt: ergo vita non est nomen æquiuocum, sed potius omnino vniuocum; sicut animal est vniuocum, & non æquiuocum, quia significat subiecta quatenus conueniunt, & non quatenus primo differunt, quia cum deus realiter viuatur, item & planta, non est illis commune solum nomen; viuens enim vt significat rationem communem vitæ, magis commune significatum habet, quam gallus respectu hominis incolentis Galliam, & gallinacii, quod enim ea voce significatur, non est diuisibile logicè, nec commune metaphysice; quia immediate amplectitur hominem, & Gallum in nulla ratione intrinseca conuenientes; ac vero viuens est lo-

gice diuisibile in deum, & plantam; quia planta & deus conueniunt ex parte obiecti in ratione viuents: ergo viuens non est æquiuocum: probatio antecedens; primum, quia planta habet prædicatum vitæ similis vitæ dei, quam lapis, hic enim tantum conuenit cum deo in ratione substantiæ; vltra hoc planta est substantia viuens, & deus est substantia viuens: ergo in hoc conceptu conueniunt, & sunt similes.

SVBSECTIO II.

Positiue, & affirmatiue conclusiones nostræ ponuntur.

Prima conclusio: in deo datur vera, & perfecta vita: conclusio est de fide; probatur primo, *Deut. 32.* viuo ego in æternum, & *Psal. 83.* [cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum,] & *Jo. 14.* [ego sum via, veritas, & vita] & *Apoc. 4.* [adorabant viuentem in sæcula sæculorum,] & *Ecclesiast. cap. 7.* ibi: [hoc habet plus eruditio, & sapientia quod vitam tribuit possessori suo,] quæ loca considerans D. Augustinus, *lib. 1. de Trinitate, cap. 5. sub initium*, sic ait, [quis enim vel vnum deum, quod est ipsa Trinitas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum audeat dicere, aut non viuentem, aut nihil sentientem vel intelligentem, aut in ea natura, qua inter se prædicantur æquales, quemquam esse eorum mortalem, siue corruptibilem, siue mutabilem,] quibus consonat Nyssenus *orat. catæchet. capite 1.* ibi: nefas est enim putare, Verbum citra omnem vitam consistere instar lapidum. Idem docet Nazianzenus *orat. 1. 5.* quæ est secunda de pace, Cyrillus, *in Ioan. lib. 1. cap. 9. & Dialogor. de Trinitate, lib. 7.* Athan. *orat. 5. contra Arrianos, propius ad medium, quam ad finem*, adducto testimonio ex *1. Ioan. 1.* quod erat ab initio, &c. Damascenus *lib. 1. fidei. cap. 15.* Chrysost. *tom. 1. homil. in id Psal. 24.* dirige me. Gregor. *lib. 18. moral. cap. 27. & cap. 34.* Isidorus *lib. 7. ethymol. cap. 1.* Anselmus *in Monolog. cap. 14.* & Aristoteles *lib. 2. de celo, text. 17.* [Operatio immortalitas est; hoc autem est vita sempiterna. Itaque necesse est, motum sempiternum deo inesse, & libro 10. Ethic. capite 8. circa medium,] ibi: viuere ipsos Deos vniuersi putant; quare & operari non enim oportet, illos vt Endimionem aiunt dormire, & *12. lib. met. text. 39.* ibi: degentia vita, qualis nobis paruo tempore optima illi est; siquidem ita semper illud est; nobis autem profecto id impossibile est, speculatio optimum, & magis delectabile est; si igitur ita bene se habet deus semper vt nos aliquando admirabile est; quod si magis adhuc admirabilis est, at ita se habet; ceterum vita quoque profecto inexistit, siquidem intellectus operatio vita est. Ille vero est actus, actus vero per se illius vita optima, & perpetua est, dicimus itaque deum sempiternum; optimumque viuens esse, quare vita, & ænum continuum & æternum deo inest, hoc enim est deus.

Prima demonstratio ad probandam hanc veritatem sumitur ex D. Dionysio *lib. de diuinis nominibus, cap. 6. initio*: [nunc nobis laudanda est æterna vita, ex qua ipsa vita, omnisque vita pendet, & à qua in omnia, quæ qualemque vitam degunt, vita pro modo cuiusque diffunditur, rursus vitam vitam omnisuperiorem, diuinamque vitam ipsius vitæ vitalem causam esse dicimus.] Et concludit

dit caput illud his verbis, [vita quæ vitam superat, vitæque est principium vt vniuersa, omni-
nisque vita spectatur, & celebratur, atque vt
nihil requirens, aut potius vitæ plena ipsa vi-
ta dicitur, & vt omni vita, vt ita dicam vitalior,
superiorque vita.] In quibus verbis hanc demon-
strationem continet, Deus est causa, & principium
totius vitæ; sed nihil est in effectu, quod non con-
tineatur in causa: ergo vita continetur in Deo;
sed non continetur solum eminenter: ergo con-
tinetur formaliter. Minor hæc sic probatur; quia
vita secundum se est perfectio simpliciter sim-
plex; sed perfectio simpliciter simplex formaliter
continetur in Deo: ergo in Deo formaliter est
vita, quam rationem supra late proposuimus, &
infra etiam proponetur, dum de voluntate diuina
agendum erit, videantur ibi dicta.

27 Secunda demonstratio sumitur ex verbis Diui
Augustini lib. 13. de Trinit. cap. 4. vbi sic ait;
[quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatio-
ne præponimus, oportet vt esse, & summe viuere,
atque intelligere in ipso fateamur.] Ex quibus
sic argumentor; quia Deus est omnium creatu-
rarum excellentissimus ens: ergo perfectiones,
quæ in omnibus creaturis admixtæ imperfectio-
nibus reperiuntur defæctatæ, & deputatæ ab im-
perfectiōibus in excellentissimo, & summo gra-
du perfectionis debent reperiri in Deo: atque vi-
uere, intelligere, & esse sunt perfectiones in crea-
turis admixtæ imperfectiōibus: ergo deputatæ
ab illis reperiuntur in Deo in summo gradu per-
fectionis.

28 Vltimo probatur à D. Thoma lib. 1. contra Gent.
cap. 92. ratione 2. ibi: [adhuc viuere secundum
hoc aliquibus attributum est, quod visa sunt per
se, non ab alio moueri, & propter hoc illa, quæ
videntur per se moueri, quorum motores vulgus
non percipit, per similitudinem dicimus viuere
sicut aquam viuam fontis fluentis; non autem
sisternæ, vel stagni stantis, & argentum viuum,
quod motum quemdam habere videtur, proprie
enim illa sola per se mouentur, quæ mouent se
ipsa composita ex motore, & moto; sicut anima-
ta; vnde hæc sola proprie viuere dicimus; alia ve-
ro omnia ab aliquo exteriori mouentur; vel ge-
nerante, vel remouente prohibens, vel impellente.
Et quia operationes sensibiles cum motu sunt,
vltius omne illud, quod agit, se ad proprias ope-
rationes; quamuis non sit cum motu, dicitur vi-
uere; vnde intelligere, appetere, & sentire actiones
vitæ sunt; sed Deus maxime non alio, sed à seip-
so operatur cum sit prima causa agens maxime;
ergo competit ei viuere; diuinum enim esse om-
nem perfectionem essendi comprehendit, viuere
autem est quoddam esse perfectum; vnde viuendi-
tia in ordine entium non viuentibus præferuntur
diuinum: ergo esse est viuere ipse: ergo est
uiuens.

SVBSECTIO III.

Vltima conclusio ponitur.

29 Vita Dei in hoc consistit, quod sit in vltimo
actu æquivalente motui, vel operationi, ad
quem virtualiter se reducat, hanc conclusionem
docet P. Suarez tom. 2. metaphys. disput. 38. sect. 13.
§. quomodo Deus vivat: his verbis; recte enim
ex hac obiectione intelligitur, esse longe diuer-
sum diuinæ, & creatæ substantiæ viuendi mo-
dum, & quod de diuinis attributis positiuis dixi-

mus, in hoc manifestissimum esse, scilicet secun-
dum modum, quo sunt in creaturis non esse in
Deo formaliter, sed eminenter; esse autem in Deo
formaliter secundum modum altiore, qui om-
nem imperfectiōem creaturarum excludat in
modo: ergo vitæ, quem creaturæ habent, duo
considerare licet, vnum quod existentes in suo na-
turali statu sese actuant, vel aliquomodo se per-
ficiendo, vel in se ipsis alia repræsentando per co-
gnitionem, vel in ea tendendo per appetitum per-
fectum; aliud est, quod hæc efficiunt per veram
causalitatem, & motionem, qua se ipsa mouent
vel proprio motu, vel saltem mutatione perfecti-
ua, prius hoc perfectionis est, & nullam includit,
vel supponit imperfectiōem, nisi quatenus in-
cludit posterius, id est quatenus illud actuare se
est per veram causalitatem: hæc ergo imperfec-
tio tollenda est à vita Dei, & solum id, quod
perfectionis est, illi est tribuendum, atque ita con-
cipiendus est Deus vt actualissime habens totam
illam perfectionem, quam habet viuens, cum se
se actuat intelligendo, vel cognoscendo secula il-
la imperfectiōe distinctionis, & causalitatis inter
actum, & potentiam; cum ergo nonnulli Theologi
more Platonico, dicunt Deum viuere, quia perpetuo
se mouet per operationem immanentem perfec-
tiuam, quam ex se, & ex interna natura habet,
& non aliunde, loquantur late de operatione ma-
gis quantum ad modum significandi, & concipi-
endi nostrum, quam secundum rem, ita vt in
operatione non includatur efficientia, nec realis
diminutio, sed solum illa actualis perfectio, quam
non, nisi per modum operationis, aut motus expli-
care non possumus.

Addere posset Theologus, etiam esse in Deo
ad intra veras, & reales processiones, quæ mani-
festissime sunt actus vitæ, veruntamen illæ supe-
rant rationem naturalem, & per se non sunt ne-
cessariæ ad intelligendam essentialē vitam Dei;
nam hic Deus vt sic est essentialiter viuens, etiam si
vt sic nihil ad intra producat, & similiter sunt tali
essentia vna tantum persona subsistens intelli-
geretur, esset viuens ex vi talis essentia, sicut etiam
nunc Spiritus sanctus perfectissime viuunt, licet ni-
hil ad intra producat, & filius intelligendo vi-
uit, quamvis intelligendo non producat proces-
siones: ergo illæ per se, ac formaliter non erant
necessariæ ad vitam, esse tamen non potuissent,
nisi in natura viuente, & fecundissima, & ideo
nobis, qui eas credimus, recte declarant perfectis-
simam vitam diuinæ naturæ. Sic ille, vbi vitam
diuinam explicat per sese actuare, & per actua-
lem perfectionem, æquivalentem motui, & ideo
asserit, non nisi per modum motus à nobis posse
explicari, quod etiam docuit P. Didacus Ruiz
tomo de scientia Dei, disput. 93. sect. 3. num. 1. ibi,
[Respondetur ampliandam esse significationem
vocabuli, vt motus appelletur quilibet actus
agentis, quantumcunque perfecti, & actualiter
operantis, quapropter motus in hoc sensu valet
idem, quod operatio, licet vt plurimum ma-
gis strictè, magisque proprie soleat accipi mo-
tus.

Probat hanc sententia auctoritate Aristotelis,
qui loquens de vita Dei 12. metaphys. text. 39.
sic ait; [ceterum vita quoque perfectio in ex-
stet, siquidem intellectus operatio vita est, ille vero
est actus, actus vero per se illius vita optima, &
perpetua est.] Ecce quomodo Aristoteles loquens
de vita Dei asserit esse actum perfectissimum, &
optimum, qui conuenit Deo per modum ope-
rationis, non quidem vt sit proprie motus sed quod
æqualeat

æqualeat motui quia ita est in vltima illa actualitate, vt se habeat, ac si per motum formalem reduceretur ad actum.

31 Idem docet D. Thomas *prima parte, quest. 18. art. 1. in corpore*. ibi; [ex quo patet, quod illa proprie sunt viuientia quæ seipsa secundum aliquam speciem motus mouent, siue accipiat motus formaliter, sicut motus dicitur actus imperfecti, id est existentis in potentia, siue motus accipiat communiter prout motus dicitur actus perfecti prout intelligere, & sentire dicitur moueri, vt dicitur in tertio de anima.] Ecce vbi D. Thomas recognoscit duplicem actum, alium, qui est imperfectus, & est motus proprie, ac formaliter; quia est actus entis in potentia secundum quod in potentia est, & hic motus licet sit vita creaturarum non potest esse vita Dei, quia Deus incapax est actus imperfecti; alius actus est perfectus, qui non est motus formaliter, imo illum contraponit motui formali D. Thomas, nihilominus tamen vocat motum communiter, quia licet non sit motus, nihilominus æqualeat motui; vnde motus virtualis dicitur, quia motus oppositus formali motui erit virtualiter, aut æqualeat motus, qui modus frequentissimus est D. Thomæ ad significandas res virtualiter tales; nam eadem *prima parte, questione trigesima nona*, vt significet distinctionem virtualem, quæ datur inter relationes diuinas, & diuinitatem, contraponit illam distinctioni formali à parte rei, & asserit communiter, vel aliquomodo posse dici distinctionem: ergo si actum perfectum, & vltimum, quem vocat vitam perfectam, contraponit motui formali, &c. ergo in sententia Diui Thomæ erit motus virtualis, aut æqualeat, qui erit vita dei, cum vita Dei sit actus perfectus sine imperfectione vt articulo tertio, eiusdem *questionis 18. in fine articuli*, docet Diuus Thomas; his verbis: [illud igitur, cuius sua natura est ipsum eius intelligere, & cui id, quod naturaliter habet non determinatur ab alio, hoc est quod obtinet summum gradum vitæ; tale autem est deus, vnde in deo maxime est vita; vnde Philosophus 12. *metaphysicæ* ostenso, quod Deus sit intelligens, concludit, quod habeat vitam perfectissimam, & sempiternam, quia intellectus eius est perfectissimus, & semper in actu,] qui actus est sine motu formali, ac proinde sine imperfectione; quia autem talis actus est cum motu virtuali vocatur ab eodem Angelico Doctor *libro primo, contra Gentiles, capite 97. ratione secunda, in fine*, operatio sine motu, his verbis: [vltimus omne illud, quod agit se ad proprias operationes, quamvis non sit cum motu, dicitur viuere; vnde intelligere, & appetere actiones vitæ sunt: sed Deus maxime, non alio, sed à seipso operatur cum sit prima causa agens maxime: ergo competit ei viuere.]

32 Explicatur, & probatur nostra conclusio; aduertendo dari in deo duplicem perfectionem aliam, quæ non est actus vltimus, sed primus, vt verbi gratia, omnipotentia, quæ est actus primus actionum transeuntium, verbi gratia, productionum creaturarum, & ideo nomine potentia significatur, quia totum esse illius perfectionis consideratur à nobis, & explicatur per modum virtutis productiue, cuius terminus est extra deum, quia autem potentia quatenus potentia seu virtus factiua alicuius non concipitur per modum actus vltimi, sed potius per modum actus primi ordinati nostro modo concipiendi ad actum

J. P. Tom. II.

vltimum, ideo absolute, ac simpliciter dicitur potentia, seu principium actus non actus vltimus; alia perfectiones in Deo sunt actus vltimi, vt est presentia, seu vbi infinitum, per quod Deus est in omnibus rebus intime præsens illis dicitur actus vltimus, quia non ordinatur ad vltiorem actum sed potius ipsum ex suo munere constituit Deum vltimo, & formaliter in esse præsens; hic autem actus, licet vltimus sit excluditur à ratione viuendi sicut præcedens, ille quia non est vltimus, quod requiritur necessario ad vitam actualem, vt patet ex verbis Philosophi & D. Thomæ adductis; hic quia licet sit actus vltimus, nihilominus tamen non æqualeat motui per quem virtualiter se mouet id, quod viuit, & ratio est manifesta, quia presentia sequitur ad existentiam, & ad rationem entis, & ideo concipitur ante omnem vitam, quia gradus entis simpliciter est prior in deo prioritate vniuersalitatis, & constitutionis, ac proinde subsistendi consequentia, vnde bene valet, est viuens: ergo ens; non autem è contra est ens: ergo viuens; vnde consequenter sequitur gradum entis esse ante principium motus, quo res se potest mouere, quia principium, quo se res potest mouere incipit à gradu viuendi, qui sequitur ad gradum entis; quapropter inter se conuertuntur viuens, & se mouens, vnde vt aduertit D. Th. supra, quidquid mouetur & nescimus, an sit ab alio, vel ignoramus principium talis motus vocamus viuum, vt argentum viuum, aquam viuam, imo si à longe videamus corpus immotum, nihil de illo vitale prædicamus, statim autem, ac videmus, moueri, & non videmus principium extrinsecum talis motus, dicimus esse vitale: ergo ante gradum viuendi non concipitur motus, neque actus mouendi se, vnde cum presentia sequatur ad gradum entis, qui est ante gradum vitæ, necessario dicendum est, presentiam non esse actum, quo se mouet res præsens: ergo non est viuere, tertius modus perfectionis est in Deo, qui est actus vltimus, quia est vltima actualitas perfectissima nostro modo concipiendi proueniens ab actu primo, vt v.g. intelligere, velle, & recordari: dicuntur actus vltimi hæ perfectiones, quia vltimo actuatur deus per illas, & non ordinatur ad vltiorem actum per easdē, sunt autem æquivalentes motui quo res se mouet, quia virtualiter profuunt, & æquivalenter emanant à voluntate, intellectu, & memoria dei, vnde deus per intellectiōnem, & volitionem sine vlla imperfectione distinctionis realis, receptionis, causalitatis & mutationis formalis se habet ac si à potentia in actum à seipso reduceretur, vnde se habet per summam eminentiam ac creatura per imperfectionē dum vult, & intelligit, quapropter sicut creatura quādo vult & intelligit, ita intra se operatur formaliter, vt se reducat de actu primo in actum secundū mouendo seipsam formaliter, ita deus altiori modo per actū perfectissimum, & simplicissimū in pura, & vltima actualitate consistentē ita se habet, ac si formaliter operaretur intra se, & formaliter se moueret, ac reduceret de actu primo in secundū quod nihil aliud est, quā morio, & reductio virtualis, & per æquivalentiam, quod explicuit Philosophus *libro 2. de celo, text. 12. ibi*, Dei operatio immortalitas est; hoc autem est vita sempiterna; itaque necesse est motum sempiternum Deo inesse, [& libro 10. *Ethic. capite octauo, circa medium*, ait, [viuere ipsos Deos vniuersi putant, quare & operari; qui modus loquendi etiam in Scriptura reperitur. *Sapientia enim 7.* dicitur, [omnibus mobilibus mobilior est Sapientia,] mobile autem intelligi-

tur aptum moueri à seipso, quando perfectissimū est mobile, dicitur autem mobilis Sapientia, vt inquit D. Thomas, non quia in se moueatur formaliter, sed quia quatenus intelligit omnia sine villo modo per suam eminentiam ita se actuat, vt per motum actuari solet creatura intelligens, & quia sapientia Dei nunquam cessat à cognitione, quasi sit in continuo motu describitur, quo superat omnia mobilia, quæ in perpetuo, & perenni motu esse non possunt, eo quod defatigantur, quod non cadit in deum, quod explicatur optime per verba supradicta, videlicet omnibus mobilibus mobilior est Sapientia, quæ mobilitas, vt explicatur à D. Thoma per supradictam virtualitatem, & æquivalentiam summa perfectio est, cuius carentia esset imperfectio fit in creatura, motus tamen eminentialis, virtualis, & æquivalentiæ summa perfectio est, sicut extensio, & diuisibilitas formalis est imperfectio in creatura, nihilominus tamen extensio virtualis sine dubio est summa perfectio creatoris, ita similiter perennis operatio intra se continuus sine interruptione motus, non formalis, sed virtualis, eminentialis, seu æquivalentiæ summa perfectio est, ratione cuius Sancti Patres aliquando tribuunt motum deo ne scilicet ipsum consopitum tanquam in somno ab operationibus vitalibus vacantem conciperemus, & ob hanc causam Philosophus, lib. 12. *Metaphysica*, text. 5. 1. alleruit, deum esse in perpetua vigilia, quia nimirum est actus secundum operationes imminentes intellectus, ac voluntatis, ita Gregorius Nazianzenus orat. 42. *qua est secunda in Pascha, satis ante medium*, Augustinus lib. 8. de *Genesi ad litt.* cap. 20. D. Dionysius, cap. 1. de *coelesti Hierarc.* & cap. 9. de *diuinis nominibus*. Tertulianus lib. 2. *aduersus Marcionem* cap. 16. Gregorius Magnus, lib. 20. *Moralium*, cap. 23. in id *Iob* 30. [mutatus es mihi in crudellem,] D. Thomas 1. p. *quest.* 9. art. 1. ad primum, & in primo distinct. 8. *quest.* 3. art. 1. ad secundum, quæ loquutiones non possunt intelligi de mutatione formali, cum deus de seipso dicat: ego sum deus & non mutor, & in canonica à Iacobo proferatur, [in quo non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio.]

33 Vnde eleganter Nizenus lib. de orat. *versus finem*, in hæc verba prorumpit, [quia ad omnem mutationem firmus, & immobilis est qui non potest reperire melius in quod transeat,] & ideo merito dicebat I. I. *Dialogo* 2. de *Repubblica*, *versus finem*, quod si deus mutaretur, fieret deterior, hoc autem si quis admittat, iam concedat necesse est, deum non esse primam, ac infinitam bonitatem, igitur si in cognitione Dei, & in vocatione ipsius secundum Scripturam, & Patres concedendus est motus, vt talis cognitio sit viuere dei, & non est concedendus motus formalis, vt patet ex dictis, concedendus erit sine dubio motus virtualis, per quem deus se æquiualeuter moueat, & virtualiter reducat ad actum perfectissimum; & se constituat in vltima actualitate, per quam vt docebat P. Suarez, Deus sese actuat, vnde S. Thomas docet, Deum se mouere his verbis: [nam illud maxime omnium mouet se, quod ex seipso habet adminicula omnia quomodocunque ad motum concurrentia (hoc est sine virtualiter, siue formaliter) sed deus est huiusmodi: ergo ipse maxime omnium se mouet,] vtique virtualiter, & ideo viuunt intelligendo, & volendo.

34 Itaque hic vltimus actus, & vltima perfectio dei vita perfectissima eiusdem est, quia formaliter est

actus, & habet formalissimam entitatem, seu actualitatem, per quam æquiualeat motui creaturarum quod docuit illis verbis Pater Suarez, [& quod de diuinis attributis positius diximus, in hoc manifestissimum esse, scilicet secundum modum, quo sunt in creaturis non esse in Deo formaliter, sed eminenter; esse autem in Deo formaliter secundum modum altiore, qui omnem imperfectionem creaturarum excludat,] Vnde licet ad vitam diuinam intercedat æquivalentia, & virtualitas, non sunt ad æquiualeendum vitæ vt sic, quia in Deo non solum est vita æquiualeuter, sed formaliter, sed ad æquiualeendum imperfectionibus creaturarum in vita earum. Est autem formaliter vita in deo ratione æqualissimæ, & formalissimæ perfectionis, quæ propter suam formalem excellentiam æquiualeat motui in creaturis. Itaque ratio formalis vitæ est illa formalis actualitas, in qua fundatur talis æquivalentia, quæ non potest fundari in aliis perfectionibus propter rationes supra positas, & ideo formaliter huiusmodi perfectio est intellectio, & volitio, quæ necessario viuere est, seu vita actualis, quæ denominatione intelligendi, & amandi non potest tribui aliis perfectionibus diuinis, quæ sequuntur gradus communes Deo, & creaturis non viuunt huiusmodi perfectiones non possunt esse vita, neque æquiualeere motui à seipso, quia creaturæ viuentes in similibus formalitatibus solum mouentur à seipsis formaliter, & non in aliis, quæ sequuntur gradus communes rebus non viuentibus, homo enim, & Angelus se formaliter mouent intelligendo, & amando: ergo Deus quatenus intelligit, & amat, seu vult, cum non possit se mouere formaliter, se mouebit virtualiter, aut æquiualeuter; quod sufficit, vt sine imperfectione creaturarum sicut viuunt & intelligit formaliter, ita formaliter viuat; in quo est summa eminentia, & excellentia purissima, & actualissima vitæ diuinæ; nam habere quidquid perfectionis est in formalitatibus, & prædicatis creaturarum sine imperfectionibus illarum indicat infinitatem simpliciter per essentiam, quæ perit summam puritatem, & actualitatem, excludentem omnem imperfectionem, quæ sequitur in creatura potentialitatem, cui immergitur.

Ex quibus omnibus patet nullus esse momenti id, quod aliqui asserunt, vitam scilicet diuinam non vocari realem, sed intentionalem; nam vita diuina realis est, & simul intentionalis; quia reale non opponitur intentionali, sed potius vitæ fictæ; quis enim negabit secundum principia veræ philosophiæ, intellectionem, & volitionem creatam, quæ vita intentionalis est, esse realem, cum non sit ficta, sed vere existat à parte rei.

Ergo similiter vita Dei, licet sit intentionalis, hoc est cognoscitiua, & appetitiua, realis erit nihilominus.

Ex his omnibus facile erit, assignare vitam actualem vt sic prout abstrahit à creatura, & increata; nam cum viuere creatum sit actuare se per motum formalem, & viuere increatum sit actuare se per motum virtualem aut æquiualem, viuere vt sic erit actuare se abstrahendo à motu formali, & virtuali. Quare manifeste colligitur, dari convenientiam vniuocam inter vitam diuinam, & creatam, siue illa sit physica, siue intentionalis, quia omnes conueniunt in ratione actuandi se prout explicatum est, vnde in augmentatione viuentium, & datur duplex conceptus, alius actuandi se, seu vltimæ actuali

actualitatis, per quem conuenit creatura cum Deo; alius taliter actuandi se, per quem differt ipsa creatura à Deo; [taliter autem modus actuandi se, quem differentiam vocamus, est per intus sumptionem se actuare, quæ differentia non tollit, quominus Deus & creatura conueniant in ratione actualitatis vt sic, seu actuandi se; Vnde P. Atriaga perperam arguit ratione, quam ipse à priori vocat, dicendo vitam physicam consistere in augmentatione per intus sumptionem, intentionalem autem in cognitione & amore; & ideo non habere conuenientiam, nisi in ratione entis quæ non est conuenientia in conceptu viuentis; ratione cuius concludit male, Deum vt intelligentem non conuenire cum planta in ratione vitæ.]

38 Nam licet verum sit, quod vita physica consistat in tali augmentatione, & quod talis vita secundum quod est augmentatio reduplicando supra differentiam non conueniat cum vita intentionali; nihilominus tamen hæc dissimilitudo ratione differentie non tollit, quominus datur in vita physica aliquis conceptus contractus per talem differentiam; & qui ex suo conceptu non includat illam, quia differentie sunt extra rationem superioris, v. g. Deus, homo, & Angelus conueniunt in ratione intelligendi vt sic, licet non conueniant in ratione taliter intelligendi; nam si homo sumatur quatenus intelligit ratiocinando, nullo modo conuenit cum Deo; quia in Deo neque umbræ, neque vestigium ratiocinationis datur, ex eo autem, quod in tali ratione intelligendi, scilicet per discursum formale non conuenit homo cum Deo, non debet hæc irrationalis consequentia colligi: ergo homo nullo modo conuenit cum Deo in ratione intelligentis vt sic; alias ex eo quod homo sit ens creatum compositum ex materia, & forma; in quibus rationibus nullo modo conuenit cum Deo, posset tu hanc consequentiam colligere: ergo homo non conuenit cum Deo in ratione entis vt sic, aut ratione substantie vt sic; certe tunc dignus esses irrisione; ex eo quod confunderes rationes communes; & quia non distingueres conceptum superiorem ab inferioribus; quid enim tu diceret, si audires, dicentem; homo est animal rationale; equus autem non est rationalis sed brutum; ergo homo; & equus nullam conuenientiam habent in ratione animalis vt sic: certe ridentes talem obliuionem arguendi secundum bonas regulas Dialecticæ: ergo similiter irridendus est, qui dicit, vita physica consistit in ea augmentatione per intus sumptionem, intentionalis autem in cognitione, & amore objecti: ergo nullo modo conueniunt in ratione vitæ; confundis enim differentias augmentationis, & perceptionis; seu appetitionis, per quas totaliter differunt hæc vitæ; cum ratione vitæ vt sic, seu actuandi se, quæ est ratio communis, in qua conueniunt vita physica, & vita intentionalis; & quæ de se non inuoluit differentias, sed potius præscindit ab illis; & contrahitur per eas ad constituendas species vitæ; quæ licet secundum differentias non conueniant, conueniunt tamen in ratione viuendi vt sic, seu actuandi se, prout abstrahit ab actuatore per intus sumptionem, & ab actuatore per appetitionem, aut perceptionem objecti. Item sicut non bene valet, intellectio in ratione percipiendi objectum, non conuenit cum volitione: ergo non conueniunt in ratione vitæ; ita etiam

I. P. Tom. II.

non valet futilis illa, ac puerilis argumentatio, quæ vix videtur saluasse limina Dialecticæ; vita physica non conuenit cum intentionali in ratione augmentatione per intus sumptionem: ergo non conuenit cum illa in ratione vitæ vt sic, quatenus est operatio, aut actio sui, quæ dicitur operatio vt sic immanens, prout abstrahit ab operatione includente motum formalem, aut virtuale; quæ diuiditur in operationem eminentialiter, aut virtualiter immanenter, æquiualendo motui; & sic conuenit Deo; vnde cum dicitur à Diuo Thoma, & ab aliis, Deum viuere; quia mouet se, aut operatur intra se, non debet intelligi cum imperfectionibus creaturarum quales sunt, vel transitus ab vna operatione ad aliam, vel ab otio ad opus, vel cum distinctione inter operationem & operantem, nihil enim horum in Dei vita inueniri potest; dicitur ergo operari intra se vitali modo, aut mouere se, quia perfectionem illam actualem, quam habent viuentia creata, dum vitaliter in seipsis operantur cum efficientia ipsius operationis hanc habet Deus totam sine illa imperfectione per substantiam, & essentiam suam: vnde substantialis vita Dei hoc differt à substantiali vita creaturæ, quod hæc videtur posita in duplici habitudine transcendentali ad operationem scilicet principiæ: inui operationis circa se, & simul etiam receptiuæ. Deus autem vita est substantialis absolutissime, & simplicissime, nimirum vt per se, & suam essentiam habeat perfectam actualitatem quam nos in operatione esse intelligimus, vnde vt purius loquamur potius debemus dicere vitam Dei esse puram, & simplicissimam actualitatem ultimam, quæ se actuatur, quam esse operationem, aut motum per quem se moueat quod hic secundus modus loquendi minus habet decentiam, & perfectionis, ac proinde absolute ad simpliciter loquendo, non est admittendus motus in Deo, quare non mihi placet Pater Valencia, qui probans dari vitam in Deo, 1. parte disputat. 1. questione 18. de vita Dei, puncti. 1. §. possimus, sic ait; [vita est tum natura, cuiuscunque rei; quæ seipsam moueat, tum etiam motus ipse, seu operatio immanens procedens à tali natura; sed Deus maxime omnium seipsum mouet intellectione, & volitione nimirum, quæ sunt motus immanentes: ergo Deus maxime omnium habet vitam.]

Nam scriptura, quia absolute definit, Deum esse omnino immutabilem: [ego sum Deus, & non mutor.] & alibi etiam umbram motus excludit à Deo; [in quo non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio] absolute reprehendit ita motum sine addito, introducentes in Deum, quare motus nullo modo est adscribendi ipsi, nisi cum addito, vel metaphorice, vel virtualiter, aut æquiualeter, vt admittitur dolor, poenitentia, &c. quia motus proprie est actus entis in potentia secundum quod in potentia est; quod maximam imperfectionem includit, ac proinde omnino remouendum est à Deo. vtpote tanta Maiestate omnino indignum, quod sæpe notarunt, & aduertunt P. Ecclesiæ, Origenes homil. 23. in Numeros, optimam regulam tradidit ad huiusmodi loquutiones sine periculo intelligendas, ibi: [hæc omnia, in quibus, vel mutari, vel lugere, vel gaudere, vel odisse, vel letari dicitur Deus tropyco, & humano more accipienda sunt ab Scriptura dici, aliena porro est diuina natura ab omni passionis, & permu-

Nu 2

rationis


tationis affectu; in illo semper beatitudinis apice immobilis, & inconcussa perdurans,] similia dicit Basilii in id *Psalmi* 37. [Domine ne in furore tuo arguas me, inconuenientia autem, quæ ex tali modo loquendi sequatur sic proponit Tertulianus libro 2. *aduersus Marcionem*, [si Deus mutatur, irascitur, & æmulatur, & extollitur; & exacerbatur: ergo & corrumpitur: ergo & morietur, quod inconueniens etiam eruit Augustinus libro quarto, de *Trinitate*, docens, omne mutabile esse corruptibile; unde libro 5. de *Trinitate*, capite secundo, sic ait: [alia essentia, vel substantia accipiunt accidentia, quibus in eis fiat, vel magna, vel quantacunque mutatio; deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest, & ideo sola substantia, vel essentia, quæ est Deus, incommutabilis omnino est,] quod ante docuerat Hylarius enarrat. in *Psalmum* 2. ibi, [beata illa perfecta, æternaque virtutis bonitas non patitur conuersionem, nec demutatur ex alio in aliud motu accidentis instinctus,] idem Anselmus in *Monolog.* capite 24. Hugo Victor. libro 7. *eruditionis Didascal.* qui est de *Trinitatis* per visibilia agnitione, capite 20. unde Cyrillus Alexand. de generatione Verbi loquens sic ait, [hominis quidem natura ad nihilum redigitur, moritur, & corrumpitur, quia ante mutatur, ante nuncium enim mortis, & corruptionis videmus mutationem; quid enim mirum si ex nihilo producta corruptioni subijciatur; Deus autem viuus, & immortalis semper vnus, semper idem, sine vlla transmutatione perseuerans.]

Itaque caute loquendum est, dum motus nomine vitur, dum de Deo loquimur; quia phrasibus absolute prolata imperfectiorem sonat, quia dicit, produci realiter vnum ab alio per causalitatem; ergo si Deus comparatione suæ cognitionis nullo modo est causa productiua aut receptiua, nullo modo erit principium se intentionaliter mouendi per illam, quia intellectio diuina absolute, ac simpliciter sumpta est ipsa simplicissima essentia Dei sine vlla distinctione ab ipsa, alias existens in ipsa essentia simplicitatem tolleretur diuinam, & compositionem imperfectam introduceret, quapropter in Deo non motus simpliciter, sed purissima actio, seu actualitas concedenda est, & ideo vt dixi, actio vt sic, seu operatio immanens eo modo, quo explicuimus, diuiditur in operationem, seu actuationem virtuales motum includentem, & hæc est vita Dei, & in actuationem formalem motum includentem, quo se ab intrinseco mouet creatura cum imperfectionibus vere, & proprie principij productiui, causatiui, & receptiui intra seipsam, quod nullo modo potest repetiri in vita Dei, quæque quantumuis diminutionem excellentiæ, & potentialitatis immersionem includant, propriissime tamen sunt respectu creature, quæ in actu primo viuendi aliis imperfectionibus similibus circumdatur, per quas omnino differt à Deo: ergo non mirum, quod vita Dei summe perfecta sit in pura actualitate consistens, è contra creature vita maximis imperfectionibus plena sit.



DISPUTATIO XIX.

De existentia, & perfectione diuinæ voluntatis.



QVÆSTIO I.

Vtrum detur in Deo voluntas.

SECTIO I.

Conclusio ponitur.

Conclusio: in Deo datur proprie, ac formaliter voluntas; hæc veritas aperte definita est in Scriptura: *Psalm.* 113. dicitur, [Deus autem noster in celo omnia quæcunque voluit fecit, simulacra gentium, argentum & aurum,] vbi Propheta David pulchra anthithesi declarat ingens discrimen inter verum Deum, & idola, seu fictos Ethnicorum Deos, nam hi instar auri, & argenti nulla voluntatis excellentissima perfectione gaudent, ac proinde nequeunt cultores liberare, Deus autem verus voluntate omnipotentis præest rebus omnibus, maximumque auxilium præbet cultis, ac veneratione reuerentibus ipsum, quia ad nutum suæ voluntatis omnia operatur, executionique exemplo mandat, quod expresse docuit Paulus ad *Ephes.* 1. cap. ibi: [secundum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ,] vbi Apostolus agit de arcano ac profundo mysterio diuinæ prædestinationis, & electionis, vt late probauimus in materia de prædest. *quæst.* [Vtrum electio ad gloriam sit ante præuifa] merita, & secundum aliorum explicationem loquitur de electione diuinæ vocationis ad fidem, & gratiam, quæ sane tametsi videatur nobis vt quædam fors fortuita secundum illud *Psalmi*, si dormitis inter medios ceteros, pennæ columbæ deargentatæ postiora dorsus eius in pallore auri, à deo vero procedit ex decreto, & proposito prudenti, & diuino consilio habito: ergo manifeste docet Paulus in deo dari perfectissimam voluntatem liberam. Quam etiam veritatem proclamant Scriptura aliis perspicuis & elatis locis, aut euidentibus indiciis innuit, vt ad *Roman.* 12. vt probetis, quæ sit voluntas dei, & ad *Ephes.* 1. prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ, & infra; vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ. *Psalm.* 29. vita in voluntate eius, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, *Sapientia* 11. subest enim tibi, cum volueris posse, quomodo, quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses, *Ps.* 103. omnia quæcunque voluit, fecit, *Genes.* 27. voluntas dei fuit vt cito mihi occurreret, & cap. 45. non vestro consilio, sed dei voluntate huc missus sum. Similiter *Math.* 26. ibi, non sicut ego volo, sed sicut tu, & *Lucæ* 22. non mea voluntas, sed tua fiat, & *Ioan.* 5. non quero voluntatem meam sed eius, qui misit me, &c.

Deinde